



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Titvlvs XXVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

tum petentibus, sed etiam alliciunt ad potum, etiam si videant eos actu inebriari.

7. Peccant qui sustinent fures, latrones, grassatores viarum, & magis qui eorum furtis communicant, vel in ijs vendendis ac distrahendis cooperantur, quæ non tantum sunt peccata mortalia, sed tales etiam digni sunt morte temporali.

8. Peccant qui hospitantibus apud illos infideles sunt, non tantum eos non protegentes, sed permittentes, ut hospitem sarcinæ capiantur, hæc omnia & plura, in istis tabernis, tam in civitatibus quam foris ita communia sunt, ut vindictam foris clament, vix ijs quorum est invigilare ne fiat.

TITVLVS XXVII.

De Textoribus.

Articulus Vnicus.

De peccatis Textorum & Lanificum.

1. **P**eccant: qui Lanam præparant & vendunt adulterinam vel diminutam, pro bona, corruptam, pro integra, & eodem pretio, quo probatam venderent.

2. Pec-

2. Peccant qui in pondere defraudant, madefacientes sive humectantes lanam, ut amplius ponderet, & minus de illa præstent, quæ fraudes etiam in lino Serico & huiusmodi intervenire solent.
3. Peccant qui lanas tinctas dividentes, tincturis adulterinis & sophisticis utuntur, vel etiam in tincturæ opere lanam inficiunt, comburunt, aut aliter valori lanæ officiant, & nihilominus pretium probatæ tincturæ accipiunt.
4. Peccant qui diversas lanas permixtas ad invicem, divident eodem pretio, quasi ejusdem qualitatis essent, tenenturque ad damni restitutionem.
5. Qui lanam, linum sericum filunt, si misceant fila scienter unius qualitatis lanæ cum altera, vel linum cum lana, aut linum cum serico.
6. Peccant textores qui lanam linum sericum sibi pro textura data, in damnum magnum mercatorum mutant, miscent, & alterant.
7. Qui non satis torquent, stringunt, aut texunt.
8. Qui

8. Qui nimis extendunt, ut in aliquot ulnis unam lucrentur, item qui in extensione dilacerant, & denuo studiose conluunt, ut divisio non appareat.

9. Peccant qui in ulnis & mensuris injustitiam committunt.

TITVLVS XXVIII.

De Sartoribus.

Articulus Vnicus.

De peccatis Sartorum.

1. **P**eccant Sartores si non fideliter vestimenta consuunt, aut arte debita illa disponant.

2. Peccant si de panno, serico, tela, bombice, &c. partem subtrahant, nisi forte in compensam laboris id facerent, in casu quo eis stipendium sufficiens non daretur.

3. Peccant si inventores novitatum fuerint, aut singulari industria vestes impudicitati & vanitati servientes faciant.

4. Peccant juxta rationem damni, qui veteres vestes ita apposite purgare, & apparenti

renti